



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ivsti Baronii Veteracastrensis SS. Th. Et I. V. D.  
III[ustrissi]mo Arch[iepisco]po Moguntino à Consilijs.  
Epistolarvm Sacrarvm Ad Pontificem Max. Et Amplissimos  
Cardinales &c. Libri VI**

**Baronius, Justus**

**Mogvntiae, 1605**

Epistola XII. Cæsar Baronivs Soranus S. R. E. Cardinalis Ivsto Baronio  
Veteracastrensi S. Vir Clarißime.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70614)



EPISTOLA XII.

CÆSAR BARONIVS SORANUS S. R. E. Cardinalis

IUSTO BARONIO VETERACASTRENSI S.

*Vir Clarissime.*

PERGRATVM mihi fuit auditu, quod de recenti conuersione D. *FridERICI HUSMANNI*, Palatini Comitæ præfecti significas, qui è *Saulo* effectus *Paulus*, è persecutore confessor, Catholicus ex hæretico, è castris tenebrarum in campum processerit lucis orthodoxæ. Atque eo quidem gratius accidit, quod iam quasi oculis cernam, tanto illam virum, diuina cooperante gratia, fortio-rem in Apostolicæ fidei palæstra futurum athletam, quanto acriorem olim scribis Catholicorum fuisse hostem. Ego quidem ni te sponte satis alacriter intelligerem in arenam descendere contra infensissimos Ecclesiæ Dei perduelles, facerem vt mea cohortatio, quam plurimi apud te valere sât scio, tui te officii admoneret: rogarerque, vt nihil tibi antiquius esse patere, ac desiderium conuersionis animarum. Verum id ea de causa facere præmitto, ne aut



ne aut de tua voluntate dubitare videar; aut tu aliter atque ego scriberem, interpretari possis. Scis mi *Iuste*, quæ præmia sunt ipsi constituta, qui alios ad pietatem erudiunt. \* *Fulgebunt enim ut stella in firmamento*, & si bene contemplabere, non dubito, quin id unum tibi ad æternam nominis tui memoriam conciliandam faciendum existimabis, ut quam maximam Iesu Christo animarum multitudinem lucrere. Valetudinem tuam diligenter cura. Romæ. 4. Non. August. M. DCIII.

## EPISTOLA XIII.

CÆSAR BARONIVS SORANUS S. R. E. Cardinalis

NICOLAO SERARIO SOCIETAT. IESU THEOLOGO. S. P. D.

Admodum Reuerende Pater.

**D**ELECTARVNT me mirum in modum litteræ tuæ, quibus significas, *Sancti Camerini* sacras reliquias nuper apud vos post tot annorum interualla inventas, & ad excitandam piorum deuotionem in lucem reuocatas esse. Ego certe pro mea in Sanctorum pignora religione cum præsens nõ possim, quod licet, absens ipsis vota supplex defero,